



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Justinus M. 13. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Eam maculam etsi nullâ suâ culpâ contractam, cum precibus, jejuniis, confessione semper elueret, redibat tamen ad invitum illa, & etsi scelus non esset, videbatur tamen esse. Tandē dormienti adfistere ALFERVS visus est, & fonti admotum sanctioribus undis lustrare, jamque contra Stygis ejuscemodi vulnera eximium facere. O similis, inquis, fons mihi curreret! At si oculos habes, binos domi habes.

*Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebra ignibus aestuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc aestuantis luxuria flammâ decquitur, ita postmodum gehennæ incendiis consumetur.*  
S. Pet. Dam. l. i. ep. 6.

## S. JUSTINUS M. 13. Aprilis.

**J**USTINVS Philosophus Palæstinâ oriundus, literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes acerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Judæi Gentisque adversum Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarum subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior nunquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine

13. April. VITÆ SANCTORVM. 191  
fanguine stetit. Nam cum crescentem vitā & disciplinā Cynicum, ignorantia hominis multoque magis caninā impudentiā offensus, publicis congressibus vicisset, ea res scilicet canem illum ad vindictam inflammavit. Nulla ratio perdendi JUSTINI aptior visa, quam si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse cœperat & capitale. Ergo structæ D. JUSTINO insidiæ haud sanè nolenti; captus rogatusque Christianusne esset; affirmavit. desereretne sua sacra; renuit. mortem subiret; voluit; id Christo mortalium severo judici gratum, sibi utilissimum fore affirmans; ac mox cervice securi subjectâ, vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset. *Ex Surio & Baron.*

*Si unus omnium ad vitam introitus & similis exitus diligenter attenditur, varietas illa, qua versatur in medio, necesse est, ut tanquam volax fugacis somnii vanitas contemnatur. B. Dam. l. 7. Ep. 5.*

### S. HERMENEGILDUS M.

13. Aprilis.

**O**stendit HERMENEGILDUS, quando tandem negare obedientiam parentibus, etiam cælo arridente, liceat. Cum enim patrem haberet Leovigildum VVifigothorum Regem, & hæresi Arrianæ oppidò addictum, ipse sanio rem fidem à Præsule Leandro didicit. Sed veritas etiam apud parentem odium peperit. Hic enim cum laudibus debuisset, ferro filium oneravit, & anno libertatis Christianæ D. LXXXIV. in carcerem dedit. HERMENEGILDUS, ut monstraret, quam non pensi regnum haberet, humanis rebus omnibus se abdicavit, purpuram cum cilicio mutavit, tempus omne inter vota ac supplicia transegit, demum è carcere